



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De simonia. Consilium DLXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

legibus & conditionibus, quod M. Ioannes teneatur solvere, & singulis annis, durante vitâ dicti M. Philippi, in eleemosynam dare, summam centum & quinquaginta florenorum Monasterio seu Conventui Religiosorum quocumque loco sito, quod seu quem idem M. Philippus volet nominare, & quod ex ea causa dictus M. Ioannes promiserit & promittat suis expensis solvere & dare in eleemosynam singulis annis centum & quinquaginta florenos Monasterio, quod D. Philippus nominare volet, mediatim in festo Nativitatis Christi, & mediatim in festo Nativitatis B. Ioannis Baptistæ; eamque solutionem de anno in annum, durante vitâ M. Philippi, continuare. Et pro maiore securitate illius, promisit idem M. Ioannes, quod faciet patrem suum aut alium aliquem, ad arbitrium M. Philippi idoneum, se obligare pro dicta summa centum quinquaginta florenorum singulis annis, aut quod aliqua Abbatia sub beneplacito S. D. N. Papæ, si opus erit, se obligabit; idque ipsius expensis sub obligatione bonorum suorum, & sub iuramento. Quæritur, an hic contractus valeat? & si valet, qua ratione M. Ioannes ad illius implementum compelli possit.

Paucis in re tam manifesta dicimus, hunc contractum nullo iure subsistere; & non tantum esse nullum, sed etiam illicitum, unde utrique contrahentium pœna secundum juris vigorem inferri debet. Continet enim apertam & formalem simoniam conventionalem; per quam ad opus dicti D. Ioannis fit resignatio dictorum Canoniciatus & Thesaurariæ; & ex qua etiam idem D. Ioannes eosdem Canoniciatus & Thesaurariam obtinuit; & sine quâ illos obtenturus, aut dictus D. Philippus huiusmodi resignationem facturus non erat: cum in resignationibus seu renuntiationibus, atque etiam acquisitionibus beneficiorum, omnis pactio & conventio, præsertim quæ dationem vel promissionem alicujus rei temporalis continet, ut est pecunia, fundus, redditus, & aliæ similes res temporales, improbetur, c. Cum pridem, c. Pactiones, De pact. Lud. Rom. conf. 359. Quia beneficium, & utrumque in crimen seu delictum & ad pœnam simoniæ coniciatur. Et quamvis ex hac conventionem & promissione nihil commodi pervenire videatur ad D. Philippum, qui sibi nihil pactus seu stipulatus est, sed tantum pauperi Monasterio; hoc tamen verum est, Dominum Ioannem pecuniam, hoc est annuam pensionem, quæ res merè temporalis est, promississe; quod satis est ad vitium simoniæ constituendum. * Ut etiam constituitur, cum resignanti seu renuntianti pecunia promissa est, etiam si hæc illi non detur, sed postea vel ex pœnitentia, vel liberaliter promittenti remittatur, Panor. in d. c. Veniens nu. 1. De simonia. Ipsa enim antecedens sic improbata conventio, & sequuta beneficium renuntiatio, & ex renuntiatione acquisitio, delicti consummationem continet; quo nemo solâ pœnitentiâ in foro exteriori liberatur, l. Qui ea mente de furt.

Ut etiam ad averfionem aut excusationem huius delicti nihil facit, quod D. Philippus piâ intentione non sibi, sed pauperi Monasterio provideri voluerit: nam ut furtum facere, aut usuras exer-

cere non licet, ut inde eleemosyna erogetur aut aliud opus pium fiat, c. Si per eo de usur. c. Non est putanda l. q. 1. c. Sicut §. eos de homicid. ita nec per simoniacam pravitatem. Unde etiam est, quod simoniam committere dicatur is, cui sub hac conditione Ecclesiæ seu aliud beneficium confertur, ut debita Ecclesiæ solvat, Barthel. Fraxiens. quest. reneriali 26. Cum alioqui negari nequeat, quin saltem aliquid commodi ex hac conventionem perveniat ad Dominum Philippum, qui nominando Monasterium cui hæc pensio solvatur, sibi constitueret idem Monasterium debitorem tanti beneficii: quod ut de alieno sine specie furti fieri non potest, l. Si ignore §. 1. De furt. ita nec sine vitio simoniæ ex re spirituali; quam ut gratis accipit, ita quoque gratis dimittere quilibet tenetur. Proinde mature sibi consulere debent hi contrahentes, ne majores pœnas juris sibi superinducant, perseverando in hac conventionem; nec tam cogitare de illius implemento, quod sine delicto Ecclesiastico fieri non potest, quam quâ ratione ab ea sic recedere debeant: ut à contracto peccato & peccati pœnâ liberentur, & animas suas majoribus periculis non illaqueant.

De simonia.

S V M M A R I V M.

Pactum ejus, qui eligitur ad Prælaturam.

1. Religiosi ad arctiorem regulam non cogendi.
2. Prælati debet suos Religiosos alere.
3. Prælati non debet alterius conventus Religiosos proprijs præferre.
4. Prælati successor debet solvere debita prædecessoris.
5. Pacto expresso promitti posse quæ tacite insunt.
6. Consequendo mala longitudine temporis illicitum non reddit illicitum.
7. Proprium Religiosis minimè permittendum.
8. Pactum Prælati successoris, de solvendis debitis prædecessoris, est simoniacum.
9. Eligendus nullas potest facere pactiones ante electionem.

10. Ambitiosa Prælatorum pacta inficiunt electionem.

CONSILIUM DLXVI.

V I D I M V S, & diligenter expendimus tredecim articulos promissionum, quas Reverendus D. N. Religiosus ex Monasterio Matricolensi electus & assumptus ad Prælatum Abbatiæ Monasterii Sancti Adriani Religiosis dicti Monasterii eum eligentibus fecit; quos omnes ex primo aspectu & verborum superficie, & ex sua materia ac qualitate, & in suo genere satis licitas esse, nihilque vel simoniacæ pravitatis, vel injustitiæ aut turpitudinis continere, opinari est.

Quippe quod in primo & secundo articulis continetur, de non faciendâ aliqua mutatione seu innovatione circa habitum seu vestitum Religiosorum, & celebrationem divini officii, improbabile videri non potest: cum omnis novitas in reprehensionem facile veniat, & regulariter in omnibus actionibus ab ea abstinendum sit, distinct. 11. per tot. c. Cum consuetudinis de consuet. l. In his D. de legib. l. In rebus D. de constit. Princip. & Religiosus non facile ad durioris strictiorisque, quam tempore professionis invenit, vitæ & disciplinæ observatio-

servationem constringi debeat, *Oldrad. consil. 96. Numquid Monachum, Ioan. Bapt. Ferret. consil. 176. Circa primum quaesitum.*

2 Nec improbari potest quod tertio & quarto articulis continetur de moderata tractatione Religiosorum, durantibus angustiis horum temporum, & restituendis consuetis præbendis, tunc cum rebus in melius procedentibus, earum præstandarum erit facultas. Vt enim Episcopo incumbit cura alimonias clericis, quos promovet, præstare, aut de præbenda seu beneficio competente providere, *c. 2. c. Episcopus, c. Cum secundum De præb. & dignit. ita quoque ad curam Prælati regularis proximè pertinet, providere Religiosis suis de quotidiano victu, c. Ad monasterium de statu monach. & si ex institutione vel inveterata observatione præbendæ iis debeantur, eos non defraudare. Idcircoque cum vestimenta pars victus sint, & victus appellatione contineantur, l. Victus de verb. signif. improbari non posse videtur promissio de danda una libra grossorum singulis Religiosis pro vestimentis, ad quæ præstanda Monasterium seu Prælati tenetur, d. c. Ad monasterium, Panor. in c. Nisi essent De præben.*

3 Illicita quoque non videtur promissio in quinto articulo comprehensa: cum enim ex instituto vel observatione dicti Monasterii bona Conventus sint separata à bonis Abbatia, quod iuri communi non est contrarium; non potest videri illicita pactio seu promissio, quod Prælati ad receptionem bonorum Conventus non præficiat alium, quam ejusdem Conventus Religiosum, ut quemadmodum bona ipsa separationem habent à bonis mensæ Abbatialis; ita quoque illorum administratio sic separata, Religiosis, quos res ipsa concernit, relinquatur, *c. Novit De his quæ sunt à Prælat. sine consensu capit. Unde est, quod beneficia deputata regularibus non possint clericis sæcularibus conferri, sed regularibus tantum, c. Cum de beneficio de præbend. lib. 6. Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap. 10. ut cuique sua statio conservetur; & hac in re liberiore potestate Prælati permittit, laici administratio Religiosis non superinducatur.*

Ex qua consideratione justificatur quoque sexti sequentis articuli promissio de distributione bonorum: venit enim illa in consequentiam dictæ administrationis seu receptionis.

4 Quod in septimo articulo habetur de retinenda antiqua observatione penuriarum vini, & emolumentorum inde provenientium, iisdem rationibus sustinetur, quibus supradicti primi duo articuli: quod scilicet diu observata retineri debeant, nec facile adversus illa quicquam novari, *d. c. Cum consuetudinis.*

Summam rationem imò juris necessitatem habet, quod octavo loco promittitur. Est enim juris regula, quod Prælati sine consensu Capituli sui, ne temporaliter quidem bona Monasterii cuiquam concedere possit, *d. c. Novit & toto tit. De his quæ sunt à Prælat. sine consensu capituli*; ut quod iure communi statuitur, rectè in pactiōnem deduci possit.

In nono articulo quod improbetur vel reprehendatur nihil est. Vt enim pater non potest sine Conf. Wamef. Tom. II.

reprehensione proprio suo sanguini, hoc est liberis suis, præferre extraneos, *l. Cum acutissimi in fine C. de fideicommissis*, ita nec Prælati proprii sui Conventus Religiosis, qui ipsi loco filiorum sunt, *c. In præsentia De probat.* præferre debet alterius Conventus fratres in distributione seu assignatione officiorum; & ad alterius Monasterii Religiosos transeundum non est, quamdiu qualificati in proprio inveniuntur, *c. 1. & seq. 71. dist.*

Promissio decimi articuli de non faciendâ resignatione hujus Prælati in alium, quam Religiosum hujus Conventus, æquitatem omnino præfert, & jure expresso satis probatur, *c. Significatum De præben.* idemque fundamentum habet, quod antecedens promissio de non præficiendis extraneis alicui officio hujus Monasterii.

Quod per undecimum articulum promittitur de solvendis debitis primum per prædecessorem Abbatem & Conventum contractis; deinde de his, quæ idem prædecessor solus contraxit, ex juris necessitate est: cogitur enim successor in quacumque Prælati legitime per prædecessorem suum contracta debita solvere, *c. 1. De solutionib.*

Promissio in duodecimo articulo posita, licita omnino videri debet ex rationibus superius ad tertium articulum adductis. Si enim regulariter Prælati tenentur ad alimenta Religiosorum, jure quoque potuit particulariter promittere illorum præstationem, non tantum cum ad Monasterium Religiosi reducti erunt, sed etiam tunc cum nondum reducti, ex necessitate temporis in oppido adhuc subsistere cogentur.

In decimo tertio quoque ultimo articulo quod promittitur sustineri potest ex rationibus, quibus primi & secundi articuli promissa fulciuntur; ne scilicet ab antiqua observatione recedatur, & ut novitatis odium avertatur. * Quæ omnia & singula cum ita se habeant, hoc est singula horum promissorum capita in suo genere videantur esse licita, ac per se, etiam specialiter non promissa, ex lege seu Canone Prælatum obligent; nullum potest videri periculum simoniae aut illicitæ pactiōnis in illorum speciali & expressa promissione consistere. Cujus generis pactiōrum exempla in jure passim satis multa occurrunt, *d. c. Significatum, c. Significavit de cons. c. Olim 1. De restit. spoliar. Parisius consil. 29. Contra ipsum & cons. 30. In causa vertente vol. 4. ex illa juris ratione & consideratione, quod quæ tacite insunt, sine periculo exprimi quoque, & pacto convento promitti possint; & nihilo plus operentur ad bonum vel malum expressa, quæ tacite alioqui insunt, Panor. in d. c. Olim n. 6. & 7. Glos. in verb. conditione in c. Significasti, de elect. Lud. Rom. consil. 399. Vt præsens consultatio.*

Ceterum quamvis hæc speciosa sint, & in externa apparentia probabilissima videantur; suspitione tamen nobis carere non videntur quidam dictarum promissionum articuli. Et quidem imprimis illa, quæ per odium novitatis seu studii innovandi sustineri videntur; ut est de habitu non mutando; de veteri officii divini usu retinendo; de præbendis antiquis præstandis; de librâ grossorum pro vestimentis solvendâ; de penuriam vini & eorum emolumentis; & denique de commodis

Missarum Religiosis permitterdis. Hæc enim nifi per se verè sint licita, & iuri regulisque Ordinis minimè contraria; ex antiquitatis & veteris observationis, prætextu, licita minimè fieri potuerunt. Consuetudinis enim & longævi usus auctoritas etsi maxima sit, tanta tamen non est, ut Canonem, legem, vel rationem vincere possit, l. 1. & 2. C. *Quæ sit longa consuet. d. c. Cum consuetudinis.* Et tantum abest, ut longinquitas temporis illicitum excuset, ut etiam illiciti modum augeat, & infelicem hominis animam tantò magis gravet, quanto diutius in illicito usu consistit, c. ult. de consuet.

Dispicit itaque Reverendus Dominus, an in veteri observatione circa contenta dictorum articulo-
7 rum lateat aliqua regularis disciplinæ dissolutio seu relaxatio, quoad vestitum, divini officii celebrationem, aliter quàm regula monachalis, & præsertim huius Ordinis patitur, c. *Cum monasterium de statu Monachi.* & quoad præbendas, ac pecunias pro vestimentis; item de commodis penurarii & Missarum, an in illis non lateat saltem tacita permissio proprii: quod in Regularibus & Monachis usque adeò detestantur sacri Canones, ut etiam post mortem Monachi, illius pœnam & ultionem infligant, c. *Super de statu monachi.* Horum si aliquod periculum in his consistit, quia tendunt ad impedimentum debitæ reformationis secundùm regulas Ordinis, ad quas Canones volunt Prælatos teneri, c. *Revolentes eod. tit.* non videmus, quo pacto Reverendus hic Dominus electus scrupulum conscientie iniquæ & illicitæ passionis deponere possit.

8 Sine periculo & suspitione nobis quoque non videntur esse promissiones de alimentis, vestimentis, aliisque dictis Religiosis præstandis; atque item de solvendis debitis prius per præcessorem & Conventum conjunctum vel divisum contractis. Si hac in re sinister aliquis est oculus, *Clement. Exiri vers. cum verò facere, de verb. significat.* hoc est si de his solvendis & præstandis ex propria sua pecuniâ, quam electus secum fortè aliunde feret, quoquo modo actum erit, præsertim si illa vera, quamvis fortè latens causa fuerit, cur hic Reverendus Dominus se dictis Religiosis obtulerit, & propter pleniores illius sacculos (ut habet Canon, c. *Ex multis vers. nec eligant l. q. 3.*) iidem Religiosi eum elegerint. Nam licet ad hæc præstanda Prælati ex Canonis necessitate teneatur, ut diximus, non tenetur tamen nisi ex bonis Monasterii id facere. Vnde si aliunde id facit, ideoque hoc in pactum deductum sit pro assequendâ Prælaturâ, illicitum & simoniacum omninò id iudicari debet: quia est promissio rei temporalis pro adeptione rei spiritualis, in quo formalis simoniæ vitium consistit, c. *fin de pactis & ibi gloss. in V. cessare, c. Tua nos de simonia.* Et hoc est quod eleganter tradit Bartholomæus Brixienfis, *quæst. vernal. 36.* simoniam contrahere eum, qui beneficium adipiscitur sub conditione seu promissione debita præcessoris solvendi, non de bonis beneficii, sed de suo proprio. Si igitur ea fuit horum promissionum causa & conditio, & hæc concurrens circumstantia, quòd utrimque tam ex parte Religiosorum, quàm ex parte electi actum fuerit de horum

solutione & præstatione ex aliis bonis, quàm Monasterii; non videmus, quo modo Reverendi Domini conscientia possit esse tuta.

Vnum præterea est, quod conscientie scrupulum in re propositâ supra modum angere videtur; quod, si quaquâ ratione ex superioribus considerationibus verè dici possit vitium seu periculum nullum simoniæ subesse, sed omnia & singula promissionum capita per se licita; non perinde tamen excusari possunt à vitio ambitionis, in quo iniustitia consistit: ob id, quod quantum ex propositis colligere possumus, hæc promissiones sint factæ ante omnem electionem. Ipsi enim electione factâ, imò etiam ante electionem publicatæ scrutinio, electus licitis promissionibus & conventionibus antè confirmationem, vel pleniorè prælaturâ vel beneficii adeptionem constringi possit; non perinde tamen illius faciendâ potestas est antè omnem electionem: ob id, quod qui sic præmaturè se obstringit, arguatur omninò ambitiosus; & juris prohibitio generalis sit, antè electionem nullas faciendas esse inter eligentes & eligendum conventiones, c. *Talia quidem, can. Arnaldus v. 11. q. 3.* etiam si sint per se licitæ. Hæc enim juris prohibitio, & quæ ex huiusmodi anticipantibus conventibus inducitur, sinistra ambitionis suspicio, non fundatur in pacti ipsius materia, seu in eo, quod promittitur; quippe quod in suo genere licitum, minimeque improbatum est; sed in ipso tempore, quod ad faciendam aliquam conventionem antè electionem omninò inidoneum est. * 10 Et hoc est quod ex facto consultus respondit Dominicus Geminianus, *conf. 84. Quia istud dubium n. 8.* ex hoc solo, quod eligendus huiusmodi promissionem faciat antè electionem, sufficientem præberi causam ad electum repellendum, tamquam ambitiosum; quasi desiderantibus & ambulantibus locus sit denegandus, c. *In scripturis v. 11. q. 1. Paul. Parisius, d. consil. 29. & d. consil. 30.* Quod Geminiani responsum in præsentî negotio diligenter est expendendum: continet enim decisionem & resolutionem eorum, quæ circa propositos harum promissionum articulos in questionem latius venire possunt. Et hæc quidem in brevitate temporis, quod tabellarius nobis permisit, ad sic simpliciter propositas questiones respondendum esse putamus; ad quæ Reverendus Dominus electus propius advertere, & secundùm ea suam conscientiam formare poterit; parati propius certiusque respondere, cum quæ pro dubitationum & suspitionum causis obiter attigimus, explicatius nobis proponeretur.

De Simonia.

S V M M A R I V M.

Simonia an ex renuntiatione hereditatis contrahatur.

1. Simonia ut contrahatur in beneficio quid requiratur.
2. Simoniacum an sit hereditatis paternæ renuntiare intuitu beneficii Ecclesiastici.
3. Promissio præstationis annuæ, donec alicui de beneficio provisum erit, valet.
4. Simonia an contrahatur, si ad intercessionem alicuius conferatur beneficium.

Hereditatis